

Joachim Krisow David Lotichius

Disputatio Politica De Iudice

Rostochii: Kilius, 1673

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730585530>

Druck Freier  Zugang



RU phil 1673
Jouckin Knisow
David Schickius.



33

Q. D. B. V.
Disputatio Politica

De

JUDICE,

quam

Amplissimæ Facultatis Philoso-
phicæ Suffragio

PRÆSES

M. JOACHIMUS
KRISOVV,

&

RESPONDENS

DAVID LOTICHIUS, Rigâ

LivonusSS. Theol. Stud.

Publico eruditorum examini submitunt.

habenda XXX. Julij

In Auditorio Majori
horis antemeridianis



ROSTOCHII,

Typis, JOHANNIS KILII, Universit. Typogr. Anno 1673.



Q. D. R. V.
Dipartimento Politeico
D.

JUDICE

quibus
Academiae Facultatis Philolo-

M. ROBERTUS
KRIEGER

DAVID JOHANNES
LUDWIG

in Auditorio Majori
habeantur

ROSTOCK

THE JOHANNES LUDWIG



L. N. J.

Prodromus.



EXecutio legis necessaria magis est quam ejusdem sanctio; etsi enim multis legibus prospectum sit reipublicæ; tamen parùm vel nihil commodi ex iis sentiet, nisi earum usus in applicatione ad controvertentium causas ostendatur; sunt leges executione carentes magistratus mutus atque mortuus; ut enim mortuus magistratus floccipenditur; quod ejus in vivos nulla sit potestas, nullum imperium; ita leges extra usum nullam habent auctoritatem, cum suo officio quod est obligare, destituantur; maxima ex adverso necessitas est administrationis justitiæ, ex legum præscripto dependentis; cum enim citra contentionem cohabitantes vix atque ne vix in toto terrarum orbe reperire liceat; civis civi, vicinus vicino, frater quoque, non habito sanguinis discrimine, fratri intentat litem; absque justitia salus rerump. nequit conservari; hinc sit oportet ad occupanda violentiæ crudulentiæque exempla; qui publicis privatisque civium controversiis finem imponat; hinc, ex sententia Imperatoris, parùm videtur esse, vel ipsos recti tramites cordi mentique hominum impressos, parùm quoque est, jus legitimum legumque civilium sanctiones in civitate esse, nisi sint, qui jura regant & jure dicundo præsent l. 2. §. 13. ff. de origine juris. Jura regunt & jure dicundo præsent judices; maxima ergo horum necessitas; qua propter erit operæ præstium præstantissimam hanc de judice materiam brevi

A 2

Αλακρίψα

Μαρινα exhibere. Tu Omnipotens Deus, qui solus es omnis terræ iudex Gen. 18. fortuna hosce labores, & quod ad hoc declarandum possit facere argumentum, clementer suggerere.

§. I. Iudex ab eo quod jus dicat h. e. in controversam, jure definiat, appellatus. Herm. Vulteus Jur. Pr. Rom. Lib. 2. c. 1. habet sc. Iudex ab officio nomen, quod est justitiam administrare; neque enim insolens est, personas a munere denominare; sic magistratus a magistrando, quod est moderari & gubernare, eò quod subditos regat ac gubernet; consul à consulendo, quod civitati consiliis adsit; censor à censendo, quod mores censeat corrigatque; & iudex a jure dicendo nomen adepti sunt; Eadem appellationis ratio est Græcis, quibus iudex vocatur *κρίτης* item *δικαστής* & Hebræis, quibus nominatur *שופט* utrobique a judicando; vocabulum iudicis diversimodè imprimis in Romana accipitur historia; alius enim dicebat jus, sive de jure statuebat; hic non semper sed in causis gravioribus & cum vellet, jus dicebat; sed litigantium causam audiebat, & examinato eorum momento an iudicis sententiæ submittere fas esset, præscriptaque certa iudicandi formulâ ad alium, qui iudicaret, amandabat; primi actus symbola erant voces: dico, addico; ultimi verò: do. Sed talem iudicis differentiam nostra non agnoscunt tempora, idem enim qui jus dicit, illud quoque iudicando declarat; nostris moribus expeditior justitiæ ratio videtur, si non a superioribus ad inferiores descendatur; sed ab inferioribus ad iudices superiores per appellationis beneficium ascendatur. Huc pertinet ex antiquo jure iudex pedaneus, qui propriè non dicebat jus, sed quod a magistratu dictum ipsique in formula præscriptum erat, pronunciabat; eratque magistratus minister; pedibus enim in superioris sententiam (unde putatur nomen habere) ire, eique vicariam operam præstare tenebatur. Alias iudicum distinctiones non adducimus, propterea quod ad rem ipsam properemus. Variis insigniuntur iisque maximè honorificis nominibus iudices; vocantur in genere magistratus. Licet enim in historia Romanâ iudices dati à magistratibus separentur, teste Sigonio lib. 13. de jurisd. tamen propter mutatas rerum formas iudices magistratus esse certissimum est; uti enim in genere magistratus est ordinaria potestas ex lege concessa ad res

gerend.

gerendas; ita quando illa potestas circa justitiam & decidendas lites occupata est, iudicis partes tuetur; magistratus includit jurisdictionem, atqui jurisdictionis hodiernam faciem est à iudice. Caesar lib. 6. Comment. iudices vocat Principes, non sensu vulgari, sed ad mores Germanorum accommodato, qui primores pagorum vicorumque nobili genere natos dixerunt Principes; Principes enim hos *inter suos jus dixisse & controversias minuisse* idem memorat Cæsar; Principibus his additi fuerunt comites, qui in iudiciis aliisque pagi illius negotiis publicis fuere in consilium & auctoritatem; responderunt hi comites nostris iudiciorum assessoribus; quemadmodum ex Tacito lib. de Germanorum moribus constat. Cicero vocat disceptatorem juris, de legibus, ubi ait; *Juris disceptator, qui privata iudicet, judicarijve jubeat Prætor esto*; ubi rursus intelligendus iudex superior, qui jus dat vel judicare jubet; quod discrimen nunc evanuisse aliquoties fuit monitum. Alios titulos iudicum honorarios a qualitate & splendore eorum munere desumptos, cum de his Politicorum testentur monumenta, non tangimus.

§. II. Iudicem definimus, quod sit persona, quæ, ut iudicii præses, super re dubia vel controversâ, ex legum præscripto sententiam dicit; Definitione hac officium iudicis exhibetur; Præst ille iudicio; est enim causa principalis, ad differentiam personarum minus principalium vel accessoriarum, quæ adiunguntur iudici, consultandi causa, hi vocantur Assessores & sunt Jurisconsulti in iudicio causæ iudici assidentes, expeditioremque controversiæ exitum reddentes. Dicitur persona ad differentiam vocis & sententiæ sive decisionis; quæ in civilibus non proprie iudex sed potius iudicium sive definitio appellatur. Amplissimum autem iudicis officium est, & multa imò propemodum infinita complectitur multipliciterque exercetur. Id quod omne per rem dubiam controversamque expressimus; non enim id saltim ad iudicis munia pertinet, quando actor & reus inter se litigantes iudicis implorant officium; neque tum solum justitiam administrare iudex debet, quando ad illam a parte vel partibus provocatur, sed & ex officio, quod legi & juribus est consonum, non monitus iudicium interponere tenetur: Porro quarumcunque causarum disceptationes ad eundem spectant sive civiles sint sive crimi-

nes; undecunq; ipsifacultas judicandi competit vel ex independenti & suprema potestate; vel ex lege; vel ex jure magistratus vel ex mandato magistratus; sive ordinariè sive extraordinem & ex partium consensu ipsi competat, hoc nobis perinde est; nobis quippe propositum est judicem non materialiter, quatenus in hac vel illa civitate, hoc vel illo modo jus dicit; sed formaliter, quatenus natura ejus ab his respectibus abstracta est, & rem quamcunque judicialiter autoritate & sententia sua componit, sistere breviter: quatenus rem dubiã & controversam in judicio transigit; sive ille ex se, sive ex alio hanc habeat potestatem, nos non adedò disquirimus; Quicquid enim subtilitatum & distinctionum Romana vetustas in hac materia excogitavit; hoc per temporum vicissitudines magna ex parte exolevisse vel aliam rationem induisse supra asseruimus; Quicquid autem ad distingvendos judices afferri possit, ex infra dicendis constabit. Porro hæc dicendi juris potestas foro æqualis est; ultra enim illud jus dicere non fas est; nec ille qui extra forum versatur, impune potest parere, forum activum, quale dicitur respectu judicis, ultra passivum (sive litigantium) se nequit extendere. Multis autem modis subditi nanciscuntur forum, vel ratione domicilij; vel contractus; vel delicti; vel rei causæque, vel denique continentia; id quod specialius exponitur à Jurisconsultis; nobis sufficit generaliter & nominatenus hanc amplitudinem Jurisdictionis judicis indicasse. Vide sis Matthiam Stephani de Jurisdictione *Lib. 1. c. 27. usque ad 32.*

§. III. Norma & regula, ad quam judex in judicando respicere debet, sunt leges; etsi enim multis tanta ingenij contigerit felicitas, ut auditis controversiæ momentis, statim, qui bonam quive malam foveat causam, pronunciare possint, tamen fortuna difficilioris causæ vix tam ancipiti periculo committenda, ut illud justum sit, quod sine legibus & in arenâ consultantis concepto pronunciato que videatur judicio. Homo sæpius partium studio trahitur, dum uni plus favet vel ex commiseratione, vel ex pretij merito, quàm alteri; & sic absq; legibus bona causa caderet, mala autem triumpharet; unicè malo huic resistunt leges; hæ enim judicis cohibent affectus, ut non ex arbitrio sibi fingat jus, sed omnem controversiarum nodum hoc velut ense recidat; Ad hoc melius

meliùs percipiendum varietas legum est ad vertenda; leges enim non omnes videntur habere, nec apparet leges sufficere ad omnes lites tollendum, cum propter varias causarum circumstantias hic nulla legum sufficiat copia; Princeps qui summâ instructus est potestate, leges non habet; cum nullus ipsi eas possit dare, sed penes ipsum solum sit legumlatoria potestas; Præterea multis etiam gentibus non fuerunt leges; utpote apud quos plus valebant boni mores quàm apud alios bonæ leges; uti reliquit nobis de majoribus nostris Tacitus. Lacedæmoniis Lycurgus nullam legem scriptam dare voluit, sed solis traditionibus vivere, quò essent tam in agendo quàm legendo alacriores; Plutarchus. Omnes hodie quoque respública magna ex parte non legibus sed consuetudine reguntur; qui ergò iudicis norma poterit lex esse? Ad hoc removendum obstaculum distribuendæ sunt leges; vel enim a Deo datæ & sic divinæ, vel ab hominibus latæ & sic humanæ sunt; divinæ rursus vel præscriptæ vel inscriptæ sunt, quò pertinet lex moralis & naturalis. Divinis legibus nemo mortalium excipitur; sed illæ ipsos quoque Principes & in solio majestatis constitutos obligant; unde contra has peccans, quicumque tandem sit, legis iudicio obnoxius; & licet non statim post delictum puniatur, tamen obligavit se ad pœnam & reatum contraxit, ab eo puniendus qui legem tulit. Quod attinet exemplum Principis, qui illimitatum habet imperium in terris, non est iudicandus sed iudex, ideoque non accipit leges, sed subditis imperat, nihilominus tamen in alio foro ad rationes reddendas tenetur. Leges humanæ sunt vel communes vel propriæ; illæ sunt fœdera & conventiones, quibus se Principes & respública liberè submiserunt, quas propter promissionis fidem non possunt violare; postquam enim semel talia inivere pacta, non licet eadem deserere; liberum erat promittere, sed præstare necessum, cum quod antea fuit libertatis postea transeat in necessitatem. Supersunt propriæ, quas qualibet civitas sibi proprias constituit, quæ oriuntur ab externis Principiis & ad commodum civitatis, in qua vigent, sunt ordinatæ; & has iudex loco normæ ad dirimendas lites & componenda negotia adhibere debet; Quod verò resp. nonnullæ leges non habuerint & hodiernum magna ex parte sine legibus regantur, ad id resp. negando; nulla resp. legibus unquam civilibus caruit, propterea quod

quod lex sit anima civitatis, ut ergo corpus sine anima non est homo, sic civitas sine legibus non est respublica; ergo leges necessario in eadem requiruntur. Scilicet dist. inter leges scriptas & non scriptas sive consuetudines, quæ pro legibus observantur; nam diuturni mores consensu utentium comprobati legem imitantur §. sine scripto Inst. de I. N. G. & C. unde Athenienses ea quæ in legibus scripta, comprehendissent, custodisse; Lacedæmonii a. ea, quæ pro legibus observabant, memoriæ mandasse dicuntur ibid. Eum ergo qui contra leges sive scriptas sive non scriptas agit, iudicem ceu legem loquentem, experiri oportet, non autem posse propter infinitam rerum multitudinem scriptis omnia contrahi sed in subsidium consuetudines assumendas, communis est Politicorum sententia, jam ab Aristotele lib. 3. Polit. c. ii. probata; Jurisperiti enim est obortam litem non solum ex legibus (hoc enim fieri nequit) sed etiam ex rebus præjudicatis, aut ex more & instituto civitatis, aut ex iudicio & salute reip. resolvere.

IV. Sententiam iudicis sequitur imperium vel executio; ut notionem sententiæ sic sententiæ excipit executio; licet enim hæc tria maximè differant, olimque distincta fuerint in distinctis iudiciis & etiamnum discernantur; ita ut non statim habeat imperium, qui causam cognoscit; tamen elusoria est iudicis sententiæ, si non in factum transeat; jus dicitur cognoscendo, quando iudex officium suum exequitur solo causæ examine & censurâ, simul imperando vel imperio jus dicitur, cum non simpliciter sola notionem ejus qui iudicat, sed imperii autoritate intercedente, puta imperando, jubendo, vetando & denique cogendo jurisdictio absolvitur. Requisivit talem litium exitum Aristoteles 6. Polit. c. 8. verba Philosophi sunt: ἀναγκαῖα δ' εἰσὶν, repetere ex prioribus (δεχθῆ) ὅτι ἐδὲν Ὁφείλει γίνεσθαι μὲν δίκας ποιεῖν τῶν δικαίων, πάντας μὲν λαμβάνειν τέλος ὡς εἰ μὴ γιγνομένων κριτῶν εἶναι ἀδύνατον ἀλλήλοισι, καὶ πράξεων μὲ γιγνομένων h. e. necessarius autem est (magistratus) quia nullum fructum ferret iudicari causas justè, nisi hæc finem suum consequerentur, qua propter si iudiciis causarum non factis, minimè maneret societas humana & factis etiam ad exitum non perductis; Ex quibus patet rem iudicam imperio finiendam esse.

V. Duo

§. V. Duo sunt requisita iudicis, quæ illius personâ quàm
 maximè digna sunt existimanda, scilicet: *scientia & conscientia*;
 Iudex *scientiâ* h. e. peritiâ juris & legum debet imbutus esse, cum
 enim leges sint Iudicii regula, earum eum non oportet ignarum
 esse; & imperitus vel illiteratus iudex malè audit, quod officium
 sua ruditate deturpet, legum enim interpretum earum imperitum
 quid absurdius? Et rectè M. Scœvola dixit, quod turpe sit causas
 oranti, jus in quo versatur, ignorare; cum autem conditio re-
 rum non ferat, literatissimos esse omnes iudices; sufficit, si mo-
 dò legum & juris illius loci & societatis, cui iudicio suo præsumt,
 gnari sint; si verò intricatior casus inciderit, quem ipsi evolvere
 & de quo sententiam ferre, per curtam suam suppellectilem, non
 possint; tenentur alibi penès superiorem vel prudentiorem re-
 sponsum petere, ut ne malè iudicando bonam subvertant causam,
 & cum partibus tum sibi damnum attrahant; Partibus tamen hinc
 solatium accedit, quod si per iudicis scientiam causâ inferiorem
 illa videatur infirmari, per provocationem ad eum, qui scientiâ
 & usu rerum exercitator est, detur restitutio. In societatibus
 tamen majoribus, ubi & graviore & frequentiores oriuntur lites,
 accuratior quoquè legum notitia in iudice requiritur; Scientiâ
 hæc propterea in iudice requiritur, quod omne iudicium suppo-
 nat causæ cognitionem. Alterum quod iudicem commendat
 est *conscientia*; scilicet nullius criminis vel sceleris sibi conscius
 sit; non quidem iudex ἀναμαρτυρῶ & absque peccato simpli-
 citer potest esse; ex hominibus quippe constituuntur iudices, ho-
 mines verò à peccato alienos esse nunc non contingit; & vitia
 erunt donec & ubi homines; unde coram Deo ut nullus ita nec
 iudex est innocens; Sed tamen à criminibus illis, quæ taxare in
 aliis debet, sit immunis; si enim illis obruatur delictis, quæ da-
 mnaturus est in reis, plurimos in delinquendo obfirmabit; utque
 nœvos & maculas, quæ in facie hærent, indignè patimur ab iis ex-
 probrari, qui simili turpitudine laborant; ita adhuc ægrius nostra
 taxari & damnari vitia ab eo ferimus, qui iisdem affinis est; ex-
 emplum inculpati iudicis maximè illustre est Samuel, qui convoca-
 ta concione Israelitarum suæ ipsius innocentia testimonium per-
 hibebat 1. Sam. 12. 3. Nec tamen pars coram iudice agens suum
 facinus iudicis delicto, si quod novit, obvelare poterit; hic enim
 B si non

si non pro eodem satisfacit, suo obnoxius est iudicio, & reus ad iudicem delatus idem ex periri cogitur; cum neminem alterius malitia, sed propria à scelere absolvat innocentia; Item nemini alterius factum passit parere exceptionem. In specie ad iudicis conscientiam spectat ut (1.) non ducatur studio partium; sententiam quippe facere debet non ex personarum sed causarum conditione; nec intempestiva misericordia nec conceptum odium ad iudicandum impellere, sed iustitia & veritas negotium expedire debent; unde execrabiles sunt qui divitum causas, utut iniustissimas absolvunt, propterea quod munera corruptela & nundinandi animi ergo oblata receperint, ut pauperibus debitum non accommodarent officium, sed per munera occætos haberent oculos; hoc enim à muneribus critur juxta Deut. 15. qui tum non causarum sed donorum patroni appellandi sunt. (2.) Ad integritatem iudicis pertinet, si utramque audiat partem, cum enim utraque diligenter suum commendet negotium, & ille quoque, qui nulli nititur fundamentis, tamen colorem actioni suæ soleat obducere, ad optatum iudicii finem habendum, hinc alteri quoque aures applicare oportet; si enim utramque non audiverit & rationum momenta expenderit, neque verè iudicare potest, sed facile futurum est, ut injusto litem adjudicet, & iustum ab ea deiciat; si ergo candidè, & quod sui est officii, vult agere, utrique controvertentium & causam enarrandi & rationes ejus declarandi copiam faciet; Ita iudices edocuit Alexander M. de quo referunt, quod in controversiis audiendis solitus fuerit alteram obturare aurem, ut eam reo integram servaret, confer Tholosanum de rep. lib. 4. c. 5. §. 48. 3. & festinationem & nimiam iudicii prorogationem vitet; detestanda in iudice est sententiæ præcipitania, utpote quæ semper iustitiæ est habita noverca; abominanda quoque litiæ procrastinatio; qua iudices sæpius tergi versantur & litigantes bonam quoque causam deserere cogunt, nec modum nec metam exceptionibus imponentes. Ex quibus ultro sequitur a) nec surdum nec mutum debere iudicem esse, cum audire partes & loqui, quod sentit, teneatur; de cocco aliter habendum, imprimis si non per naturam sed fortuitum casum talis factus; de quo prolixius agunt Jurisconsulti β.) non semper secundum acta & probata, sed aliquando secundum suam notitiam vel conscientiam debere pronuncian-

re; hoc est, non debet iudex falsis testimoniis convictum condemnare; vel iisdem adjutum absolvere; scilicet cum novit probationes esse falsas & rem se aliter habere; nihil magis adversatur eius conscientia, quam fontem absolvere; innocentem verò condemnare; Certè si probationes quæcunque iudicem ab injustitiâ absolvunt; iustissimus fuit Pilatus, quando secundum falsas depositiones Christum innocentem contra conscientiam, secundum quam dicebat: nullam invenio in illo culpam Joh. 19. 6. ad mortem condemnavit; injustus item fuisset salvator, quod mulierem testimoniis Phariseorum ob adulterium oneratam Joh. 8. supplicio addicere noluisse. Illi, qui acta & probata semper sequenda existimant, talem nobis opponunt discursum: Quod bonus iudex statutis juris obtemperet, non indulgeat propriae voluntati, nihil paratum & meditatam domo referat, sed sicut audit, ita iudicet, sicut se habet negotii natura, decernat, obsequatur legibus, non adversetur, examinet merita causæ non mutet, quæ est sententia Ambrosii super Psal. 118. serm. 20. Resp. Iudex debet iudicare, sicut audit, regulariter & ordinariè, at si de contrario constet, non potest quod audit, sed quod sentit, pronunciare; quia veritas dissimulato mandacio prævalere debet. Dicis: quod in causa, in iudicium deducta, ratio probationum habenda; certi enim juris regula est, quod, deficiente probatione, succumbat is, cui probationis onus incumbit, Resp. eo casu, quo probationes sunt falsæ, nihil probatum est; nam probatio est veritatis tantum non falsitatis assertio; ergo adductæ regulæ aliam opponimus: sc. actore nihil probante reus absolvitur; probatio ad veritatem inveniendam destinata est; cum autem hic contrarius accedat effectus; illa minimè curanda, sed alia eandem obtinendi remedia (imprimis cum iudex suppeditare possit) sunt adhibenda; nulla est sine veritate iustitia; iustitia enim est vera fateri, ac debitum unicuique reddere, suffragante trium sapientum (qui sunt Simonides, Pittacus, & Bias) choro; Reliqua Toleti, Azorii aliorumq; argumenta vide apud alios soluta; Confer etiam B. Meisnerum Phil. Sobr. Part. 3. Sect. 2. Quæst. 4. p. 170. & seqq. Libenthal in Polit. Exercit. 12. C. 6. p. (mihi) 307 ubi plurimas adversariorum objectiones accumulat & solidè refellit.

S. VI. Variè dividuntur Judices; Adfertimus nos vel ad superiores vel inferiores; inferiores judicant res minores, cum enim summa potestas impar sit omnibus litium examinibus, quasdam causas ad inferiores amandat judices, exemplo Moysis ex consilio Jethronis soceri sui leges & statuta sancientis & integros sanctosque viros, qui ad datarum legum normam leviores res transigerent, constituentis; graviores verò decidebat ipse Exod. 18. 14. usque ad finem. Ad ordinem inferiorum referimus etiam intermedios qui à supremo secundi sunt, usque ad infimos. Supremus Judex est ipsa summa potestas, quæ res magni momenti quæ ad inferiores deferri periculosum, ad se vocat, vel, ut ab inferiorum judiciis eò provocetur, author est; è re quippe reip. est causam in multis dicasteriis venturi latam ad summum summæ potestatis tribunal pertingere, ut quod in uno judicio non attentum, aut etiam peccatum est, in alio emendetur, & tandem in summo plenè restituatur; Et ejusmodi instantiæ plures in nostro sunt imperio Germanico, ut si litigantes in prima jus suum fortè non deduxerint, in sequenti appellationis instantia id faciant, adeoque ommissa reparent, & non probata probent; nec id Majestati dedecorosum est vel noxium; quin potius judiciorum neglectus ponit opinio rem contemptus in animis civium; quod Demetrius subditorum dicas in flumen contumeliosè projiciens, ob idque ab exercitu desertus, teste Plutarcho in Dem. expertus est. Contra judiciis interesse, & eadem autoritate sua moderari, summæ potestatis amorem in cives maximopere videtur commendare; Regum personis indignum hoc non est, cum eorum officium sit facere judicium & justitiam; nec abhorruerunt ab eo Reges & Principes Alexander M. Cæsar, aliiq;. Item testatur Q. Curtius de Indorâ Regibus, lib. 8. eorum in tanta, quam habebant, magnificentia sive luxuria regiam omnibus patere, & cum rex capillum pecebatur & ornabat, tum responsa legationibus & jura popularibus reddidisse. Hoc ipsum, quod Principes judiciis præsent, attentiores in munere faciet inferiores; memores, si querela neglectæ causæ vel fraudis admixtæ superioribus supplicando exhibeatur, se vel offensam vel pœnam vix evitaturos; ut enim in automato maxima rota minores; ita summus inferiores in convenienti retinet circulo judices. Conf. Arniseum Pol. l. 1. c. 75. In Imperio tamen Germani-

Germanico ipsi Principes aut Coesar, non ut antehac, vacant dijudicandis controversiis, sed omnem hanc curam in Romanarum legum peritos, suos ministros, rejecerunt; id quod cum magno reip. malo fieri queruntur multi Vid. Conring. in Tract. de jud. Germ. §. 59. & 60. 2.) attendimus distinctionem inter judices ordinarios & extraordinarios; ordinarii sunt, qui secundum ordinem judiciorum, processus & stylum curiæ, jus dicunt; exempla ubique locorum sunt obvia. Extraordinarii qui sine processu judicario, ex æquo & bono, vel per seipsos vel per subdelegatos judicant; huc etiam pertinent arbitrarii judices Germ. *Willkürliche Richter* oder *Schiedesmänner*; de quibus inter partes convenit, quod illorum sententiã stare velint; cumque in hos semel consenserint, postea ab eorum judicio recedere non erit integrum; etsi enim antehac compromissarii judices non obligaverint, sed liberum fuerit judicatum deserere, tamen successu temporis ipsorum sententiæ in necessitatem redactæ sunt. De Austregis, qui sunt judices statuum immediatè imperio subjectorum in primâ instantiã Vid. Conring. in dict. tract. §. 61, 62, 63. 3.) Dividuntur Judices in civiles & criminales; illi in contractibus vel quasi contractibus; hi in delictis negocia moderantur; Plura vide apud Authores. Subjungimus aliquot Quæstiones, sit g.

Q. I. An vir pius & verè Christianus bona conscientia judex esse, & alius coram eo litigare possit. Vel: an in foro judicia exercenda?

S. I. Duo quærentur 1. an judex 2. an litigantes in conscientia tuti sint; vel utrum in foro contendere possit? Pro Affirm: primæ partis ita argumentamur. Quodc. omni juri consentaneum est; id Christiani conscientiam non maculat; prob: quia non jus sed injustitia conscientiam adversatur: Atqui judicem in rep. vel societate esse, omni juri consentaneum est, E. non maculat conscientiam Christiani, minor prob: per partes; consentaneum est juri *naturæ*; naturalis enim ratio inter omnes homines constituit judicis officium, idque in remedium corruptæ naturæ, quæ alio modo ab in vatione alienorum bonorum coerceri nequit quam per datos judices; ratio svadet, omni modo salutem universitatis & singulorum tueri, quò consilio excogitavit præsidium Judicum. Consentaneum est *juri gentium*; communi quippe omnium populorum consensu introductum est, ut certa essent & salva rerum dominia

B 3

negens

regens gentem fortunis exueret, aut alter alteri damnum inferret.
 Congruit tandem hoc ad *jus civile*, uti constat ex Institut. de offi-
 cio Judicis & publicis judiciis. Lib. 4. Tit. 17. & 18. Porro conso-
 nat juri divino; Deus enim approbat; Sic Josaphat constitutos à
 se Judices alloquitur: videte, quid faciatis, non enim hominis
 exercetis judicium sed Domini 2. Reg. 18. 6. accedit praxis piorum,
 hoc munere fungentium; Totus Judicum chorus aliique san-
 ctissimi cum V. tum N. T. viri suffragantur: Objiunt Anabapti-
 stæ Christum expressè judicium prohibuisse Luc. 6. ubi ita: nolite
 judicare, nolite condemnare; Item noluit ipse dividendæ hæredi-
 tatis judex esse. Luc. 12. Resp. est ignoratio elenchi; nam Chri-
 stus primo loco non quodvis, sed privata & intempesta rejicit ju-
 dicia; in posteriori autem non in quovis sed in viris ecclesiæ ope-
 rantibus & ad ecclesiasticum ministerium electis ea improbat; Ad alia
 argumenta respondetur; non judices sed malos justitiæ administra-
 tores taxari; Pro assertionem secundæ partis ubi litigantium causa
 agitur, Resp. ex naturâ relatorum; si actus judicis legitimus, &
 partis judici se submittentis legitimus erit; prius probatum; con-
 nexio evidens: si enim judex cum religione potest imperare, & ju-
 dicandus potest obedire. Addimus exemplum Pauli optimi Chri-
 stiani ad leges Romanas confugientis & adversus sicarios opem
 magistratus etiam ethnici implorantis Act. 16. 37. Sed dicit: ob-
 stat locus Matth. 5. 39. ubi prohibet Christus malo resistere; cum
 autem Christianus se autoritate judicis defendit, malo resistit;
 ergo ad judicem provocare minimè Christianum est. Resp. Chri-
 stus h. l. privatâ vindictam prohibet & publicâ confirmat; vel Chri-
 stus vult ne quis summum jus (quod summa solet esse injuria)
 virulento tueatur animo, potius studio pacis de iis, quæ rigore ju-
 ris possemus obtinere, aliquid remittamus, vid. Gerhard. in LL.
 loco XXVI. de magistr. poli. in specie c. 7. de judiciis.

Q. II. An judex possit justas pœnas à legibus impositas relaxare?
 S. I. Casus est talis: maleficus aliquo se crimine astrinxit, quod per le-
 ges vindicandum est, ut vel capitali vel mitiori e. gr. suffigationis,
 mutilationis corporis, proscriptionis sive damnationis ad metalla
 supplicio expietur; quaeritur, annon à legis rigore discedi, capitale
 supplicium in non capitale mutari, aut etiam planè remitti possit;
 ubi vero pœna speciatim in lege determinata non est; judici licet
 clementi

elementi esse; e. gr. in lege divina iusta pondera & mensura, nō addita certa transgressionis pœna, præcepta sunt Deut. 25. ubi clementiæ & severitatis locus erat relictus. Alia lex erat, ut fustigando non ultra 40. plagæ infligerentur, ubi mitigare liberum fuit; in his & similibus causis supplicium ex asperare & mitigare in iudicis est potestate. 2. Sed hoc nostrum est quæsitum; an pœna à lege expressa mutari aut remitti possit. Ubi distingvendū inter leges divinas & humanas, si in divinas easq; morales leges est peccatum; illæ utut duræ videantur, sequendæ. Lex divina est constans de his quæ fieri vel nō fieri voluit Deus, voluntas, ergo semper, ergo omnes obligat, & ubi illa nō distingvit, nec nostrum est distingvere, nisi eadē videri velimus sapientiores; Præterea intempestiva illa clementia multis exitiosa fuit; exemplo Saulis Regi Agag. parentis 1. Sam. 15. Achabi captivum dimittentis 1. Reg. 20. Damnandus ergo mos est si ve statutum, dispensationem in capitalibus admittens supplicis. Ita Romani in Paschate hominem aliquem vincitum & damnatum Judæis remiserunt Matth. 25, 15. Cum Deus id nunquam iusserit, sed Romani hoc ipso cervicibus Judæorum, iugi servitutis impatientes, demulcere voluerint; Rejiciendum quoque Numæ Pompilii, religionis Romanorum authoris, irreligiosum statutum, quo eum, cui casum ad supplicium raperetur, virgo vestalis occurrisset, liberum dimitti voluit; eodem modo Papa Rom. gravissimorum scelerum reis vitæ veniam facit; si deducti ad supplicium occurrentes habeant fortè Cardinales; quam consuetudinem multi ex ipsis detestantur Pontificiis; ideo beneficium hoc Ecclesiæ Rothmageni concessum Reges Galliæ sustulisse testatur Boclinus lib. 1. de rep. num. 166. Quod vero attinet leges humanas, & crimina quæ per eas coercentur, urgente rei publicæ necessitate & ob forticas causas superior iudex aliquid de jure potest remittere. e. gr. in crimine læsæ maiestatis; in interdicto venationis &c. Fundamentum hujus distinctionis hoc est: pœnæ juris non possunt tolli nisi ab eo, qui illas imposuit; quas ergo Deus suis legibus constituit pœnas, has non nisi ipse tollere; & quibus homo humanas armavit leges, has tollere, & mutare homo potest; ita tamen ut ne illa legum humanarum transgressio divinis sit præjudicium; nec in recip. vergat detrimentum. Conf: P. Martyr: LL. Comm.

Class. c. 14. de sceler. pun. nihil super
est, nisi ut dicatur.

SOLI DEO GLORIA,

Judex, terrestris DEUS est, sententia cujus
Divinae legi conformis in omnibus esto.
Quando secus faciet, tunc nomen jure Tyranni
Obtinet, ut thesibus de Judice differis hisc.
Plura Patri & patriæ exhibeas documenta laborum,
Gratulor! ut videant patriis cur missus ab oris.

SEBASTIANUS Wirdig/ D.

P.P. & Archiater.

Justitiæ munus sanctum venerabile cunctis
Audiat, hæc libret singula lance pari
Antiquis Astræa fuit vocitata Themistis,
Ex coeli sanctis huic quod origo fuit
Hanc Divam terras ex multa cæde madentes
Pertoesam Naso deseruisse canit.
Non tamen absque illa subsistit machina mundi,
Hinc Deus ex alto justa docere jubet.
Principium justæ & turpis mortalibus indit
Ne desint unquam semina justitiæ
Munus justitiæ judex commendat & æquum
Imperat, ex illo fasque nefasque regit,
Judicis officium defendis docte Lotichi
Hujus quæ partes condecorare queant,
Sospitet ex alto Conatus numen, in omni
Se facilem ostendat propitiumque Deus.

*Hæc præstantissimo Dn Respondent. ingenii
vires egregiè periclitanti deprop.*

PRÆSES.

Præsede KRISOVIO Cathedram conscendis. Iniquus
Ridet conatus, Regia RIGA probat,
Lætaturque Parens, lætor: Gratatur, & ipse
Gratulor: Adspiret gratia diva Tibi
Ut labor iste Tuus divino cedat honori!
Sic Patriæ quondam commoda grata feres.

Hisc conatibus Concivæ sui applaudere voluit

LIBORIUS Depfin/ Rigâ-Livonus.

S.S. Theol. Stud.



elementi esse; e. gr. in lege divina iusta po-
ta certa transgressionis poena, praecipua su-
& severitatis locus erat relictus. Alia lex era-
40. plagae infligerentur, ubi mitigare libe-
bus causis supplicium exasperare & mitiga-
te. 2. Sed hoc nostrum est quaesitum: an po-
aut remitti possit. Ubi distingvendū inter
in divinas easque; morales leges est peccatu-
tur, sequenda. Lex divina est constans de hi-
luit Deus, voluntas, ergo semper, ergo om-
distingvit, nec nostrum est distingvere, nisi
piores; Praeterea intempestiva illa cler-
it; exemplo Saulis Regi Agag. parentis
vum dimittentis. Reg. 20. Damnandus
tum, dispensationem in capitalibus admit-
mani in Paschate hominem aliquem vindic-
remiserunt Matth. 25, 25. Cum Deus id nunc
ni hoc ipso cervicibus judaeorum, jugi serviti-
cere voluerint; Rejiciendum quoque Ne-
Romanorum auctoritas, irreligiosum statu-
dum ad supplicium raperetur, virgo vesta-
dimitti voluit; eodem modo Papa Ro-
rum reis vitae veniam facit; si deducti ad
habeant forte Cardinales; quam consue-
detestantur Pontificiis; ideo beneficium
geni concessum Reges Galliae sustulisse te-
rep. num. 166. Quod vero attinet leges hu-
per eas coercentur, urgente rei publicae ne-
causas superior iudex aliquid de jure pote-
crimine laesae maiestatis; in interdicto
mentum huius distinctionis hoc est: poena
nisi ab eo, qui illas imposuit; quas ergo De-
it poenas, has non nisi ipse tollere; & quib-
mavit leges, has tollere, & mutare homo
illa legum humanarum transgressio divini
reip. vergat detrimentum. Conf: P. M.

Class. c. 14. de sceler. pun. n.
est, nisi ut dicatur

SOLI DEO GLO

the scale towards document

æ, nō addi-
clementiae
non ultra
is & simili-
st potesta-
essa mutari
humanas, si
rae videan-
ō fieri vo-
cubi illa nō
velimus sa-
xitiosa fu-
nabi capti-
sive statu-
Ita Ro-
um Judaeis
ed Roma-
es, demul-
religionis
cui casu
liberum
um scele-
currentes
ti ex ipso
Rothma-
s lib. i. de
mina qua
fonticas
e. gr. in
Fundam-
tunt tolli
constitu-
anas ar-
nea ut ne
um; nec in
mm.




Image Engineering Scan Reference Chart TE363 Serial No.